

DE
VERITATE FUTURORVM
PHYSICA ET MORALI
RECTORE
MAGNIFICENTISSIMO SERENISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
WILHELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAE RELIQ.
DISSERENT
M. IO. ANDR. FABRICIVS
ET
RESPONDENS
ANT. PHILIPP REDECKER
BLASHEIM. WESTPH.
D. AVGVSTI MDCCCXXV

IENAE
TYPIS MULLERIANIS

a. XXXI. 66.

Illo coll. diss. A
1, 66

Sächs.
Landes-
Bibl.

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLEN-
TISSIMO DOMINO


DOMINO

FRIDERICO GOTTHILFF MARSCHALL
DICTO GREIFF

S. R. I. LIB. BARONI SERENISSIMORVM SA-
XO VINARIENSIVM DVCVM SVPREMO AV-
LAE MARESCHALLO CONSILIARIO INTIMO
CANCELLARIO AERARII PVBLICI DIRECTO-
RI CVRIAE SERENISSIMORVM SAXONIAE
DVCVM IENENSIS ASSESSORI IN ROSLA ET
GEBSTAETT PRAEFECTO TOPARCHAE IN
ERLEBACH EINOED ET OSMANNSTAEDT
RELIQVA

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

ACCIPERE, MAECENAS, MILITVM CELEBRATE GAMENIS
ATQVE SVB AVGVSTO NVMINE CLARE DVCVVM,
ACCIPE DONA, PRECOR LEVIDENSIA, FRONTE BENIGNA,
HOSQVE LEVES NVMEROS QVEIS TIBI VOTA LITO.
NON ME PERIDES VATEM DIXERE, FVTVRA
QVAMVIS COMMEMOREM, SCIRE FVTVRA GRAVE;
ISTA SYBILLINIS LOCVPLES OPVLENTIA LINGVIS
CONVENIT AT LABRIS GRATIA NVLLA MEIS,
SAEPE TAMEN MOLLES INTERSTREPIT ANSER OLORES,
REGI OFFERT SVPPLEX POLLICE PAVPER AQVAS;
TVNC FORTVNA VICES MVSTAT STREPITVQVE PLACEMVS
ET PLACET AVGVSTO MENS DIA PONTE LEVI.
QVOD SI TENTARET TENVI HEROS INCEVTE VERSV
GRATA FVTVRORVM CERNVA MVSA LOQVI
AETERNA VIRTVTE TVA TIBI PARTA TROPICAEA
ILLVSTRIS GENTIS FATA SECVNDATAVAE
TE MIHI PRAESIDIVM DOMITO LIVORE FVTVRVM;
HAVD PVTO POSSE TIBI DISPICVISSE MEA.



CAPVT I.
DE VERITATE FUTVRORVM
IN GENERE

§. 1. Prooemium. §. 2. Definitio Logica. §. 3. Diuisio. §. 4.
Definitio caussalis. §. 5. Diuisio.

§. I.

PRudentis est futura prospicere, a) sed sapientis est, nosse, quae vere sint futura, b) quae minus, ne perpetuam inter spem metumque animus fluctuet, aut inquietus oberret. c). Non igitur vano ausu sed utilitate argumenti satis perspicua moti, ad doctrinam hanc mentem appellimus, & definire adgredimur, quae de futurorum veritate citra superstitionem fidem, d) vel temerariam incuriam, e) rectae rationi f) patent.

a) Prudentia, quasi prouidentia, est habitus, media quibus ad finem aliquem ex intentione Dei obtinendum, utimur, recte excogitandi & applicandi.

b) Sapientia est habitus, fontes, vnde media ad satisfaciendum intentioni diuinae desumuntur, erudite cognoscendi. Audi CICE-
RONEM L. II. C. II. OFFIC. *Sapientia est, vt a veteribus Philo-
sophis definitum est, rerum diuinarum & humanarum, caus-
sarumque quibus hac res continentur, scientia.*

c) Quod ipsum tranquillitatem animi summouet, quae est habi-
tus, ex sapientia & prudentia conflatus, quo ea tantum concu-
piscimus, quae rectae rationi sunt consentanea.

A

a) Sa-

- d) Superstitiosa fides est vetularum & hominum, quorum nec mens nec voluntas emendationem quamdam subiit & consistit in eo, vt ex signis & ominibus fictis saepius, inaginatione magica, euentum aliquem futurum possibilem saltem, pro vero habeant, affectu ita suadente.
- e) Temerariam incuriam in iis obseruare licet, qui brutorum more, praesentia tantum curant, & affectuum praeiudiciorumque nebulis occaecati ipsum prudentis circa futura studium, ingenii acie satis hebeti perstringunt.
- f) Recta ratio est habitus intellectus ex intentione Dei ita constituti, vt sensu veri & falsi seu facultate tantum recte ratiocinandi polleat.

§. II. Nobis de veritate propositionum sermo est, quam cum viro celeberrimo dno. STYBIO definimus, quod fit conuenientia propositionum cum recta ratione. a) Hinc veritatem futurorum dicimus, conuenientiam propositionum, de futuris rebus formatarum, cum recta ratione. Et cum recta ratio incipiat a sensu, b) & quaeuis propositio constet ex ideis, viterius veritatem futurorum definimus, quod fit conuenientia idearum, de rebus futuris conceptarum, cum sensu.

- a) Conf. IPSIVS PHILOSOPHIAM RATIONALEM Cap. I.
- b) Sensus enim nobis primum veritatis principium, si methodo synthetica veritatem inuenire studeas, vltimum vero veritatis criterium, si methodo analytica examen veritatis instituas. Est vero sensus passio intellectus, quae ab obiecto per spiritus animales illum afficiente proficiscitur. Estque vel interna vel externa. Externa est passio intellectus, ab obiecto extra intellectum constituto, orta. Interna est passio intellectus, ab obiecto intra intellectum constituto, orta. e, g. ab ipsis ideis & operationibus mentis, quas in intellectu sentimus. Esse autem sensationem vnicum clarum adaequatum ve-

rum

rum & sufficiens omnis veritatis principium, ab antiquissimis iam Philosophis obseruatum & ab acutissimis nostri aevi satis demonstratum est. Vti ego quidem opinor, salua tamen dissentientium auctoritate & iudicio.

§. III. Conuenientia haec (de rebus futuris loquor) est vel absoluta seu demonstratiua, quae in Philosophicis, secundum ipsum quoque ARISTOTELEM non datur, in Mathematicis vero vtique, a) vel hypothetica seu probabilis, quam in praesenti nostram facimus. b) Eam vero vel sensione immediate habemus, vel mediate, id est ratiocinio, illam dicimus diuinationem, quae est vel naturalis vel reuelata, naturalem optime Germani concipiunt sub voce *eine Ahndung*, siue *Ahnung* / c) reuelatam sub voce *eine Offenbarung* / quae si proponatur, dicitur *eine Prophezeung* / d) nos speciatim de ea agemus, quae acquiritur ratiocinio. Vtraque differt a possibili, qua conuenientiam ex ingenii foecunditate fingimus, quae casu deinceps forte fortuna ab euentu comprobatur, quod Germani dicunt *errathen*. e)

- a) Conf. Aristotel. Analyt. Post. Philosophica consistit in qualitibus, quarum omnibus numeris absoluta demonstratiua scientia non datur in homine, cum sit substantiarum atque essentialium futurarum omnimoda cognitio. Mathematica vero est quantitatum, quae sensibus quotidie obuia & perspectae iacent. Vtraque ex vnica sensione procedit, & haec quidem ex regulis & hypothesebus demonstratiuis, demonstratiua ratione ad futura quantitatiua concludit.
- b) Illa semper cum formidine oppositi concludit ex qualitibus, quatenus earum vires nobis perspectae sunt, & procedit ex conuenientia plurium sensionum.

A 2

c) Di-

- c) Diuination haec est sensio animae, qua illa absque praeuia mentis operatione intellectui futurum aliquod repraesentat. In brutis quoque analogum est diuinationis, quod sub nomine instinctus venit, & mirabiles prorsus producit effectus. Tota haec de diuinatione materia amplissimum offert meditandi campum, sed ampliorem, quam qui angustis dissertationis cancellis includi queat. Haec igitur obiter saltem dicta sint.
- d) Reuelata est sensio animae ab ipso Deo immediato concursu excitata, quam ne falcem in Theologorum messem mittere videar, illis euoluendam relinquo.
- e) Cauendum sedulo ne sub specie probabilis, haec possibilis nobis venditetur, procedit illa ex vnica nonnunquam sensione, interdum ex multis, sed non ex omnibus, quae conuenientiam inter se & cum hypothese constituere possent, v. g. Si quis ex eo, quod aliquis nobili stemmate sit oriundus, concluderet, illum aliquando fore supremum Principis cuiusdam & intimum ministrum, aut si quis ex eo, quod aliquis sit puer felicissimae memoriae, diues, eruditi filius vel nepos concluderet illum aliquando fore eruditum: vel etiam ex arbitraria mentis compositione, & ad hanc referendam puto futurorum praedictionem ex astris, punctis quibusdam in chartis proiectis, ex manuum signaturis vel faciei immo pedum lineamentis. Non equidem Astrologiam, Geomantiam, Oniromantiam, Chiromantiam, Physiognomiam, penitus reiicio, cum multa naturae nos adhuc lateant mysteria, at ex his folis futura praedicere, ignorantiam verorum ratiocinandi principiorum sapit. Optandum interim vt homines non obesae naris & ratiocinandi subsidiis instructi, manum hisce mentisque acumen admouerent, & quantum his in fit veri, eruerent.

§. III. Sensio ista, cum qua conuenientiam in veritate futurorum requirimus, est externa, & cum haec ipsa tantum oriatur ab obiectis praesentibus, de futuris

ris

ris vero praeter causas nihil praesens sit, ad veritatem futurorum concipiendam, conuenientiam cum causa, necessariam esse puto. Cum vero vnius rei plures esse possint causae, etiam concursum plurium causarum, ad verum futurum postulo. a.) Vt ergo veritas futurorum accuratius concipi non queat, quam si eam dicamus, ratiocinium probabile, quo ex concursu plurium causarum, futurum aliquem euentum praedicimus.

a) Hae ipsae causae, ut plurimum non immediate sensus incurunt, sed regulis probabilitatis eruuntur. Sunt vero vel physicae vel morales, has speciatim media dico, quibus ad obtinendum finem utimur.

§. V. Quando verum aliquem euentum dicimus futurum, tunc conuenientiam istam adesse vel affirmamus vel negamus, hinc ratiocinium hoc vel affirmatiuum est vel negatiuum. Interdum simpliciter de utroque pronunciamus, interdum vero praesentes causas inter se conferimus & has praeponderare dicimus illis, hinc ratiocinium hoc vel simplex est vel comparatiuum. a) Causae istae, quarum conuenientiam cum ideis sentimus, sunt vel physicae vel morales, hinc ratiocinium de futuris in duo dispescitur capita, quorum prius de veritate futurorum Physica, posterius de veritate futurorum morali aget. b.)

a) e. g. Probabile est hominem prudentia sapientiaque instructum, feliciori uti rerum successu, quam imprudentem, stolidum, & brutorum more humanas & diuinas pariter leges susque deque habentem.

b) Datur quoque ratiocinii genus ex Physico & morali mixtum

A 3

cum

cum nonnumquam & physicae & morales caussae ad euentum aliquem futurum concurrant, sed facillimum erit si singula noueris, data compositione, recte ratiocinia nectere, vt ergo peculiari huius ratiocinii consideratione non videatur opus.

CAP. II.
DE VERITATE FUTVRORVM
PHYSICA

§. 1. *Definitio & diuisio.* §. 2. *Caussarum.* §. 3. *Effectus & modi.* §. 4. *Hypotheseos eligendae ratio.* §. 5. *Exemplum.*

§. I.

Veritas futurorum Physica, est ratiocinium probabile, quo ex praesentium caussarum Physicarum concursu, effectum aliquem Physicum futurum praedicimus. a) Vtimur hoc ratiocinio vel in Physicis in genere, vel in rebus medicis in specie, estque vel syntheticum quo inuenire hypotheseos tentamus, vel analyticum, quo inuentam iam examinamus.

a) Differt a ratiocinio causali, quo demonstratiua ratione, ex vnus caussae viribus effectum aliquem concludimus. Nec non a ratiocinatione probabili Physica, qua ex effectibus eorumque phaenomenis ad causam concludimus. Vtraque tamen scitu necessaria est, si in hac, quam proponimus veritate inoffenso pede progredi velis. Ratiocinationem causalem nuper admodum Dissertatione peculiari erudite exposuere M. ADOLPH. FRIDER. HOFFMANN & IO. SIGISMUND. HEINSIVS. Lipsiae d. XVI. Iun.

§. II. Vt igitur euentum aliquem Physicum futurum, hoc ratiocinio vere praedicere queamus, ante
omnia

omnia de natura caussarum, clare & adaequate concipienda, sumus solliciti. a) Deinde cogitemus, quid & quantum vnaquaeque, in se & sua natura spectata, producere queat, quidue ab ea in concursu eum aliis expectandum, immo ipsarum caussarum caussae sedulo considerandae, nec vni caussae tribuendum, quod ab altera deriuandum, multo minus caussae fingendae, iisque vires adiudicandae, quae plane iis non conueniunt.

a) Caussae Physicae sunt vel ideales vel mechanicae, ideales sunt spiritus, quae agunt secundum finem aliquem, quisquis demum ille sit; Mechanicae sunt vel qualitates vel quantitates, qualitates agunt secundum motum, a Deo & natura inditum, quantitates secundum numerum, grauitatem & figuram. Sunt porro vel principales, quae dirigunt, vel instrumentales, quae directioni inserviunt, instrumentales vterius sunt vel essentiales, quae destinato consilio ad producendum effectum adhibentur, vel accidentales quae minus. Sunt tandem vel vniuocae vel aequiuocae, illae producant effectum sibi similem, hae minus.

§. III. Porro ad effectum a) eiusque constitutionem clare & adaequate concipiendam, animus adiciendus, quantum caussarum & virium ad hunc effectum producendum, necessarium sit, considerandum, nec modus praetermittendus est, quo caussae in obiectum agunt, & ad effectum concurrunt, hic vero non fingatur aut statuatur plane experientiae contrarius, ad impedimenta quoque caussarum, ad resistantiam materiae in agendo attendendum, quantum impe-

impe-

impediant ista, quomodo vincantur, vt tandem effectus nihilominus sequatur, immo ad casus interuenientes quosuis possibiles, animi attentio adhibenda, & ingenium sollicitandum, vt noscas illos quadantenus, hi enim mirum quantum nonnumquam rem mutant, & inopinatum saepenumero producant effectum, nisi omnem adhibeas solertiam.

a) Et quidem in methodo analytica praecipue, vbi iam hypothesis de effectu futuro formata est.

§. III. Tandem in negotio de quo euentum praedicere tibi sumis, omnes causas, quotquot humana mens perspicere vllatenus potest, in coniunctione considera, nullam vel minimam circumstantiam aut oscitanter aut ex affectu negligere, omniumque ad euentum futurum proportionem caute contemplare. Vltius plures de euentu futuro hypotheses possibiles mente concipe, easque singulas cum causis inuentis confer, & ex his poteris veram eligere probabilem, eam nempe, quae cum omnibus causis earumque circumstantiis accurate conspirat, a) quod si euentus nondum sequi videatur, deme aliquid ipsi donec iusta sit & accuratissima inter causas & euentum conuenientia.

a) Probabilitatis in genere notitia admodum hoc loco necessaria, ex qua reliquae de hac probabilitate futurorum in specie, regulae hauriendae. In applicatione vero huius probabilitatis, regulae meditandi in genere, quibus praeiudicia, affectus, ignorantia, error, & huius farinae impedimenta

menta

menta artis cogitandi, ex humanae mentis iamiam circ
veritatem occupatae circellis eliminantur.

§. V. Difficilem esse hunc ratiocinandi modum, fateor, non vero impossibilem, aut plane falsum, aut inutilem & reiiciendum. Vt rem exemplo collu-
frem, ponamus aegrotantem tussi primo correptum, grauiusque sed irritato conatu in excernenda pituita & materia peccante laborantem, postmodum vel leui oblata iniuria, ira aestuantem & inde cum febris ardenti conflictantem, vltius ex maculis ad interiora reuersis, omnibus viribus destitutum. Quod si iam quaestio instituat, de euentu huius morbi, possibile primum est, aegrotantem ex morbo isto vita excessurum, sed aequale possibile illum emerfurum. Penfitatis vero hypothefibus his, & cum cauffis praesentibus, earumque circumstantiis ad amiffim rectae rationis collatis, probabiliffima erit prior, & in ea acquiescendum.

CAP. III

DE VERITATE FUTURORVM
MORALI

§. 1. Definitio & diuifio. §. 2. Subiecti. §. 3. Finis & mediorum. §. 4. Hypothefeos consideratio. §. 5. Exemplum.

§. I.

Veritas futurorum moralis, est ratiocinium probabile,
B

bile, quo ex praesentium mediolorum concursu, de fine aliquo obtinendo, hypothesin praedicimus. a) Vt utur hoc ratiocinio in rebus moralibus, speciatim in rebus prudentiae & artis consultatoriae b), vt malis metuendis vel occurrere vel cedere, bonis vero sperandis viam sternere, prudenter queamus. Estque iterum vel syntheticum vel analyticum.

a) Differt a ratiocinio practico, quo demonstratiua ratione ex cognito fine ad media apprehendenda concludimus. Nec non a ratiocinatione probabili politica, qua ex conuenientia actionum cuiusdam hominis & ex concursu mediolorum quibus utitur, finem quem sibi proposuit, eruere nitimur. Vtrumque tamen ratiocinii genus prorsus necessarium est ipsi, qui hoc, quod proponimus, genere vti mentem intendit.

b) Conf. D. AVG. FRID. MVLLERI Logicam Cap. 19. §. 19. p. 530. Totam vero de probabilitate doctrinam, quam ARISTOTELES cum asseclis haud assequutus est, nonnulli vero, qui nimirum demonstrandi pruritu saltem agitantur, alto supercilio contemnunt, illustres eruditionis solidae restauratores LOCK, THOMASIVS, RVDIGER, BVDDEVS, SYRBIUS, MVLLER, aliique, tam egregie proposuere, vt quid post horum labores desiderari possit, vix superlit.

§. II. In hac ratiocinandi methodo, ante omnia subiectum, quod finem aliquem nobis cognitum intendit, & ad eundem obtinendum media applicat, quoad omnes, quae in isto continentur vires expu- tandum erit. Ibi ergo ad vires intellectus, a) ad habitus voluntatis, b) & ad externas eiusdem, vel facultates vel circumstantias c) attendendum.

a) In

- a) In intellectu memoria, ingenium, iudicium, horum natura, per affectus praeiudicia, educationem, conuersionem, corruptio, per meditationem aut experientiam emendatio, consideranda.
- b) An v. g. ambitio, voluptas, auaritia, & quales harum species, vigeant, earum collisio, coniunctio, gradus, efferuescentia, retinentia, per rectam rationem, experientiam, prudentiam, emendatio; consideranda.
- c) E. g. ad aetatem, sexum, opes, familiam, fortunam, educationem, consuetudines, amicos, &c.

§. III. Porro fines possibiles expendendi, & imprimis quem cognitum & propositum supponimus, qualia & quanta media ad ipsum obtinendum, adhibenda sint, omni studio cogitandum, ipse finis secundum principia, iusti, honesti & decori, examinandus, a) an plures ad illum obtinendum, aspirent, & quibus mediis aut viribus, diiudicandum, deinde media, quibus subiectum vtitur, b) eorum ad finem proportio, per subiectum directio & ad finem applicatio, impedimenta, omniumque circumstantiarum phaenomena perscrutanda.

- a) Finis est vel praeceptus vel prohibitus vel permissus. Praecepti sunt pietatis, iustitiae, honestatis, & amicitiae, prohibiti sunt malitiae, stultitiae, vanitatis, permissi prudentiae decori.
- b) Media sunt vel communia vel rara, vtraque, vel vulgaria, vel erudita, illa sensus incurrunt, haec abstractione & iudicio nituntur, sunt porro vel praecepta vel prohibita, vel permissa, vel noxia, vel innoxia, vel vnica, vel socia, vel logica, vel physica, vel moralia, vel mathematica, vel proxima vel

ma vel remota, vel adaequata vel inadaequata, vel essentialia vel accidentalia, vel media vel remedia, aut si non placet haec diuisio, sunt vel applicantia vel cohibentia &c. de quibus vberius differendi hic non est locus.

§. III. Tandem omnium mediorum, subiecti, circumstantiarum notarum & possibilium quoque accidentium, cum hypothese de fine proposito obtinendo, instituta collatione, ex conuenientia cum hypothese finis & mediorum, de veritate hypotheseos probabili constat, a) quae conuenientia, si nondum adsit, aliae hypotheses posibles eligendae, & illa probabilis vera iudicanda, ad quam omnia media, subiecti ratio, mediorum applicatio & circumstantiarum conuexio conspirant.

a) Notandum diuersos dari probabilitatis gradus, summus ad demonstrationem accedit, infimus possibilitatem vix superat. Sed ista omnia & longe plura quae ad illustrandum thema nostrum facerent, consulto omittimus, quia si sint generalia ex Logica praesupponenda erunt, sin vero specialiora ex positis iam facile concludi poterunt.

§. V. Exempli loco ponamus hominem ad locum consiliarii aulici S. R. I. enitentem, & iudicemus an ille finem propositum obtenturus sit. Singulari mentis acumine, iudicio exarsciato, ingenio foecundo, memoria vero prae ceteris satis vegeta, pollet subiectum, quae dotium naturalium praestantia ipsum in contentum quoque Philosophiae theoreticae rapuit. In voluntatem auaritia & ambitio dominium exercent, quas tamen insignis prudentia viuendi, experientia, itinera saepius instituta adeo reprimunt, vt acutioribus

ribus

ribus quoque sub specie iusti honestique fucum faciat. Notitiam Iuris ciuilibis, praecipue Iuris publici haud vulgarem, amicitiam summorum, diuitias haud leues sibi comparauit, praecipuis argumentis eruditionis plausibilioris gratiam principum meruit. Corporis quoque praestantia & eloquentia placet, omnes quibuscum ipsi negotium est, suauis spe lucri, promotionis, commendationis, eruditionis, amicitiae non infucatae, honestatis plane singularis, demulcet. Mediis eruditis, raris & viris perscrutandis, & in his adhibendis silentio utitur, perspicax est & quid sibi proficit quid oblit, exacte nouit, non recta via, sed quasi e longinquo procedit, nec facile a proposito deflectitur. Ignobili stemmate quidem oriundus, sed secunda admodum semper usus est, fortuna, qua duce ipsum, quod iam tenet honoris fastigium obtinuit, ex quo ad altiorem dignitatis gradum ascendere, spes ipsi non leuis enata est. Quod si omnibus his pensatis, dignitas consilii aulici S. R. I. consideretur, probabile statim apparebit, illum finem aliquando obtenturum. Ponamus iam alium ad eundem finem adspirantem, immo palam profitentem, se ad hunc finem obtinendum omnem mouere lapidem, hominem non infimo loco natum, parentibus mirifice illum praesentem quoque colentibus, singulari & stupenda prorsus memoriae virtute, ingenii tanta fecunditate quanta qui proximo gradu a stultitia abest, ornatum dicam an oneratum. Totum hic Corpus Iuris Ciuilibis quantum quantum, iuuenis admodum memoriae mandauit, notitiam Iuris publici mediocrem at Gram-

matices litterarumque maximam sibi comparauit, vino somnoque saepe sepultus iacuit, amicis potentissimis suffultus, adulatoribus stipatus, omnes in sui admirationem traxit. At nihilominus vereor, ne finem intentum, irrito conatu sibi propositum, spemque de illo mente conceptam, frustra sibi obortam aliquando profiteri cogatur. Quamuis enim fortuna faueat fatuis, valde tamen improbabile est, nostrum contrariam sibi superaturum aliorum prudentiam. Fingamus, alio adhuc exemplo rem illustraturi, iuuenem, patre viro probo, claro, erudito, mature nimis orbatum, matre adhuc gaudentem & quidem eius generis, quod Moliere dixit les precieuses ridicules, femina nimirum vana, stolidâ, Deo sibi que ipsi irascente, quod ignobili sanguine illam prognatam voluerit, perfida tamen, sordidae auaritia dedita, dicacula, quaeuis ridiculo ausu taxante, Veneri priuatim quaestus causa sacra faciente, lucrum meretricium exinde reportatum gulae impendente, conuiciis ineptissimis bonos quosuis proscindente. Fingamus porro filium habitus vanos stolidos ex materna educatione sibi contraxisse, praeceptoribus, quorum largam messem habuit, vel ipsa matris admonitione suffultum restitisse, eosque ludibrio habuisse. Fingamus iam in Academiis versantem, stupidum, rudem, litterarum expertem, memoria & iudicio destitutum, aliquali tamen ingenii ex malitia animi, longo rerum usu acquisito habitu, praeditum, qualis quidem in iis est, qui ob hebetudinem intellectus in intimo stultorum gradu & fece plebis haerent. Fingamus auaritia & voluptate

luptate

luptate ceu scabie misere corruptum, prodigum, otio
 afini instar deditum, aut libris romanensibus tempus te-
 rentem, monitoribus asperum, mendacem, nemini
 amicum, perfidum, quemuis vel intimum ex amicis,
 immo patronos, praeceptores, matrem, hospitem, fra-
 trem ac sorores cum cognatis, humanas pariter ac di-
 uinas leges data quauis occasione iniuriis & ieiunis
 scommatibus conspurcantiem, de cetero finum, vultus
 obscuri, insignem prae se ferentis stoliditatem. Quod si
 de futuris hominis huius fati, positis his, hypothesin
 formare tentares, probabilius esse iudicares, ipsum vi-
 forum aliquando inhonesta occupaturum subsellia,
 quam virorum de republica bene meritorum collustra-
 turum collegia.

VIRO PLVRIMVM REVERENDO AMPLISSIMO
 DOCTISSIMO

M CONRAD. PHILIPP. REDECKER
 APVD BLASHEIMENSES V. D. M.

S. P. D.

M. IO. ANDR. FABRICIVS.

Simulac filius, quem studiorum caussa in illustri Sala-
 na esse iubes, mihi innotesceret, mirabar ingenuum
 vultum, optimam indolem & ad optimas artes litteras-
 que innatum Ipsi ardorem. Sed singulari quadam per-
 frue-

fruebar animi voluptate, cum ex Ipso cognoscerem, illum sub eodem magistro in litteris posuisse tyrocinia, sub cuius praesidio anno cio io. ccxvi Lipsiae, primam a me conscriptam, de nimio in linguis studio, dissertationem defenderam, nimirum sub VIRO PLVRIMVM REVERENDO AMPLISSIMO insigni prorsus eruditione CLARISSIMO DNO. M. RVMPFIO. Iucunda huius rei memoria, nos sensim eo deduxit, vt iterum cathedram scandere Ipso respondente non dubitarim. Gratulor Ipsi de edito specimine, & precor de futuris differens, vt fausta TIBI quaeque, VIR PLVRIMVM REVERENDE, eueniant, inprimis vt FILIO melioris notae, idem contingere videas, quo parenti meo optimo, quem Deus seruet, spem de me conceptam probavi. Anno enim subsequenti, postquam eruditum, praeside DN. RVMPFIO conflictum sustinueram, summis me in Philosophia honoribus dignum iudicabat inclutus Philosophorum LIPTIENSIVM ordo, nec postmodum annus abiit, quo non aut dissertationibus aut scriptis aut collegiis, quaecumque meum studium, in mei ipsius emendationem, aliorumque vtilitatem, conferre satagerem. Summum numen omnium nostrorum laboribus benedicat, vt in nominis sui gloriam, commune, propriumque vergant commodum. Vale. Dab. Ienae cio io cc xxv. d. xxviii. Iulii.



Coll. diss. H. 37, misc. 66